

fulgura expiari non queunt facile: quodq; genera insi-  
ta fuerunt, tot fulgura vno icu pronunciantur. Tur-  
binator piris figura. In ijs serotina ad hyemem vsq;  
ad matrem pedent gelu maturefcentia, graca, ampul-  
lacea, laurea: sicut in malis amerina, scātiana. Cōdun-  
tur vero pira vt vna, ac totidem modis: neq; aliud in  
cadis præterquā pruna. Pomis pprietas pirisq; vini:  
similiterq; in agris medentes cauent: ac vino & aqua  
coquuntur, atq; pulmentarij vicem implent, quod nō  
alia præter cotonea & struthæa.

De pomis feruandis. CAP. XVI.

**I**N vniuersum vero de pomis seruādis præcipitur:  
pomaria in loco frigido ac sicco contabulari, sep-  
tētrionalibus fenestris sereno die patere, austros  
specularibus arcere, aquilonis quoque afflatu poma  
deturpante rugis. Colligi mala post æquinoctium au-  
tumnale, neque ante xv. lunam, neque ante primam  
horam. Cadiua separari, stramentis, storeis, paleisue  
substerni. Rara componi, vt limites peruij spiritum  
æqualem accipiant. Amerina maxime durare, me-  
limela minime.

De cotoneis, Punicis, piris, & forbis, &  
vuis feruandis. CAP. XVII.

**C**otoneis interclusis spiramentum omne adimen-  
dū, aut incoqui melle ea immergiue oportere.  
Punica aqua marina feruente indurari, mox  
triduo sole siccatasita ne nocturno rore cōtingantur,  
suspendi. Cum libeat vti, aqua dulci perlui. M. Varro  
& in dolijs harenæ seruari iubet, & immatura obrui  
terra in ollis fundo effracto, sed spiritu excluso, ac sur-  
culo pice illito. Sic etiam crescere amplitudine maio-  
re quā possint i arbore. Cætera mala folijs ficulenis,  
præterquam cadiuis, singula conuolui, cistisque vitili-  
bus condi, vel creta figlinarum illini. Pira in vasis fi-  
ctilibus picatis inuersis obrui inter scobes. Tarentina  
serissime legi. Anitiana seruari & in passo. Sorba ve-  
ro & in scrobibus gypsato operculo, duum pedū ter-  
ra superinducta, in loco aprico, inuersis vasis, & i do-  
lijs vt vnas cum ramis suspendi. E proximis autori-  
bus quidam altius curam petunt: deputarique statim  
poma ac vites ad hunc vsū præcipiunt, decrefcente  
luna, post horam diei tertiam, cælo sereno, ac siccis  
ventis. Similiter deligi & ex locis siccis, & ante per-  
fectam maturitatem, addito vt luna infra terram  
sit: vnas cum malleolo sarmenti duro, demptis forfice  
corruptioribus acinis, in dolio picato recenti suspen-  
di, exclusa omni aura operculo et gypso: sic & sorba  
ac pira, illitis omnium surculis pice. Dolia procul ab  
aqua esse. Quidam sic cum palmitē in gypso cōdunt,  
capitibus eius scilla infixis vtrinque. Alij etiam vina  
habentibus dolijs, dum ne contingant ea vna. Aliqui  
mala in patinis fictilibus fluitantia, quo genere & vi-  
no odorem acquiri putant. Aliqui omnia hæc in mi-  
lio seruare malunt. Plerique vero in scrobe duum pe-  
dum altitudinis harena subtracto, & fictili opercu-  
lo, dein terra, operto. Creta quidam etiam figlina

vnas illinunt, siccatasque sole suspendunt, in vsu di-  
luententes cretam. Eandem pomis in vino subigunt.  
Mala vero generosissima eadem ratione crustant gyp-  
so vel cera: quæ nisi maturuerint, incremento caly-  
cem rumpunt. Semper autem in pediculos collocant  
ea. Alij decerpunt cum surculis, eosq; in medullā sam-  
buci abditos obruunt, vt supra scriptum est. Alij sin-  
gulis malis pirisq; singula vasa fictilia assignant, &  
opercula eorum picata dolio iterū includunt. Necnō  
aliqui in floccis capsisque, quas luto paleato illinunt.  
Alij hoc idem in patinis fictilibus: aliqui & in scrobe  
subiecta harena, ita sicca operiunt mox terra. Sunt  
qui cotonea cera Pontica illita melle demergant. Co-  
lumella autor in puteos cisternasue in fictilibus vasis  
pice diligenti cura illitis mergi. Liguria maritima  
Alpibus p̄xima, vnas sole siccatas iunci fascijs inuol-  
uit, cadisq; conditas gypso includit. Hoc idem Græci  
platani folijs, aut vitis ipsius, aut fici, vno die in um-  
bra siccatis, atque in cado vinaceis interpositis. Quo  
genere Coa vna & Berytia feruantur, nullius suauit-  
ati postferendæ. Quidam vt has faciant, in cinere li-  
xiuio tingunt protinus quā detraxere vitibus, mox  
in sole siccant: tum folijs (vt supra dictum est) inuo-  
lutas vinaceis stipant. Sunt qui malunt vnas in scobe  
ramentisue abietis, populi, fraxini seruare. Sunt qui  
suspendi procul malis, protinusque in granarijs iu-  
beant, quoniam optime sit operimento puluis pensili-  
bus. Contra vespas remedio est, oleo aspergi ex ore.  
De palmis diximus.

De ficis genera xxix. CAP. XVIII.

**R**eliquo genere pomorum ficus amplissima est:  
quædamque & piris magnitudine æmula. De  
Aegyp̄tia Cypriæq; miraculis retulimus inter  
externas. Idæa rubet oliuæ magnitudine, rotundior  
tantū, sapore mespili. Alexandrinam banc ibi vocāt,  
crassitudine cubitali ramosam, materia validā, lentā,  
sine lacte, cortice viridi, folio tiliæ, sed molli. Onescrit-  
tus tradit i Hyrcania multū nostris esse dulciores, fer-  
tilioresq; vt q̄ modios cclxx. singulæ ferant. Ad nos  
ex alijs transiere gentibus, Chalcide, Chio: quarū plu-  
ra genera. siquidem & Lydia quæ sunt purpureæ, &  
māmillanæ, similitudinē earum habent: & callistru-  
thiæ parū sapore præstantiores, ficorū omnium frigi-  
dissima. Nam de Africanis, quas multi præferūt cun-  
ctis, magna quæstio est: cum id genus in Africam nu-  
perrime trāsierit, patria nomen obtinent. Nam Ale-  
xandrina è nigris est, candicante rima, cognomine  
delicata. Nigra & Rhodia est, & Tiburtina de præ-  
cocibus. Sunt & autorum nomina ijs, Liuiæ, Pom-  
peia: \*siccādis hæc sole in annuos vsus aptissima, cum  
mariscis, & quas harundinū folij macula variat. Est  
& Herculeana, & albicerata, & aratia alba, pedi-  
culo minimo, latissima. Primo autē prouenit porphy-  
ritis, longissimo pediculo. Comitatur eam è minimis  
& vilissimis, popularis dicta. Contra nouissima sub  
hyeme maturatur chelidonia. Sunt præterea eadem  
serotinae

\*siccata hæc  
sole in an-  
nuos vsus  
aptissima, cū